



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

Concilium Carthaginense LXVII. Episcoporum, In quo Pelagius & Caelestinus haeretici Theodosio VII. & Palladio consulibus, anno Domini CCCCLXVI. damnati fuerunt sub Innocentio papa I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

CONCILIVM CARTHAGINENSE
LXVII. EPISCOPORVM,

*In quo Pelagius & Cælestinus hæretici Theodosio VII. & Palladio
 consulibus, anno Domini CCCCXVI. damnati fuerunt
 sub Innocentio papa I.*

Acta omnia exciderunt. Epistola synodalis ad Innocentium pa-
 pam scripta extat hæc.

*Domino beatissimo & honoratissimo fratri Innocentio papæ Au-
 relius, Numidius, Rusticianus, Fidentius, Euagrius, Antonius,
 Palatinus, Adeodatus, Vincentius, Publicanus, Theasius, Tu-
 tus, Pantonius Victor, Restitutus, alius Restitutus, Rusticus,
 Fortunatianus, Ampelius, Avinius, Felix, Donatianus, Adeo-
 datus, Octavianus, Serotinus, Maiorinus, Posthumianus, Tri-
 spulus, Victor, alius Victor, Leucius, Macinus, Fructuosus,
 Faustianus, Quotvultdeus, Candorius, Maximus, Maca-
 rius, Rusticus, Rufinianus, Proculus, Thomas, Ianuarius, Octa-
 uianus, Prætextatus, Sixtus, Quotvultdeus, Pentadius, Cy-
 prianus, Seruilius, Pelagius, Marcellus, Venantius, Didymus,
 Saturninus, Tiaracenus, Germanus, Germanianus, Iuuentius,
 Maiorinus, Iuuentius, Candidus, Cyprianus, & AEmilia-
 nus, Romanus, Africanus, & Marcellinus, qui in Concilio
 ecclesiæ Carthaginensis adfuimus.*

CVM ex more ad Carthaginensem ecclesiam solenni-
 ter veniremus, atque ex diuersis causis congregata
 ex nobis Synodus haberetur, compresbyter noster O-
 rosus nobis literas sanctorum fratrum & confacerdo-
 tum nostrorum dedit * Auerothis & Lazari, quarum for-
 mam his constituimus esse subdendam. His ergo lectis,
 Pelagium & Cælestium auctores nefarii prorsus & ana-
 thematizandi ab omnibus nobis erroris aduertimus. Vn-
 de factum est, vt recensendum peteremus, quid ante fer-
 me quinquennium super Cælestii nomine hic apud ec-
 clesiam Carthaginensem fuerat agitatum. Quo recitato,
 sicut ex subditis aduertere poterit sanctitas tua, quam-
 uis iudicatio manifesta constaret, quia illo tempore, epi-

Yy iij

* Nero-
 this, ut
 Heco-
 tis,

Nota au-
toritatem
sedis Ro-
manæ.

Ioh. 8.

Rom. 7.

scopali iudicio, excisum hoc tantum vulnus ab ecclesia videretur, nihilo minus tamen id communi deliberatione censuimus, huiusmodi persuasionis auctores, quamuis & ad presbyterium idem Cælestius postea peruenisse dicatur, nisi hæc apertissime anathematizauerint, ipsos anathematizari oportere, vt si ipsorum non potuerit, saltem eorum qui decepti sunt ab eis, vel decipi possunt, cognita sententia quæ in eos lata est, sanitas procuretur. Hoc itaque gestum, domine frater, sanctæ caritati tuæ intimandum duximus, vt statutis nostræ mediocritatis, etiam apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas, protruenda salute multorum, & quorumdam etiam peruersitate corrigenda. Idenim agunt isti damnabilibus disputationibus suis, vt non defendendo, sed potius in sacrilegam superbiam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquunt locum gratiæ Dei, qua Christiani sumus, qua & id ipsum nostræ voluntatis arbitrium vere fit liberum, dum a carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur, dicente Domino: *Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis.* Quod auxilium fides impetrat, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Isti autem asserunt (sicut a fratribus, qui eorum libros legerunt, cognouimus) in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis instituit creauitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit implere, siue naturaliter in corde conscriptam, siue in literis datam. Eandem quoque legem ad gratiam pertinere, quod illam Deus in adiutorium hominibus dedit. Illam vero gratiam, qua (vt dictum est) Christiani sumus, cuius Apostolus prædicator est, dicens: *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, nolunt cognoscere omnino, nec aperte quidem oppugnare audent. Sed quid aliud agunt, cum hominibus animalibus, non percipientibus quæ sunt spiritus Dei, persuadere non cessant, ad operandam perficiendamque iustitiam, & Dei mandata complenda, solam sibi humanam sufficere posse naturam, non attendentes, quod scriptum*

ANNO
CHRISTI
416

est: Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Et: Non volentis, ne-
que currentis, sed miserentis est Dei. Et: quod vnum corpus sumus
in Christo Iesu, singuli autem alter alterius membra, habentes dona
diuersa secundum gratiam, quæ data est nobis. Et: Gratia Dei
sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed plus
omnibus illis laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum. Et:
Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum
Iesum Christum. Et: Quia idonei non sumus aliquid cogitare,
quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et: habe-
mus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt eminentia sit virtu-
tis Dei, & non ex nobis. Et innumerabilia, quæ de scriptu-
ris omnibus si colligere velimus, tomus non sufficit. Et
veremur, ne apud te ipsa ista commemorando, qui ma-
iore gratia de sede apostolica prædicas, inconuenienter
facere videamur. Sed ideo facimus, quia in eo quod in-
firmiores sumus, (quaquaversus quisque nostrum, ver-
bum Dei prædicando, putatur attentior) crebrius eos
patimur & audacius insurgentes. Si ergo Pelagius epi-
scopalibus gestis, quæ in oriente confecta dicuntur, et-
iam tuæ venerationi iuste visus fuerit absolutus, error
tamen ipse & impietas, quæ iam multos assertores ha-
bet per diuersa dispersos, etiam apostolicæ sedis aucto-
ritate anathematizanda est. Consideret enim sanctitas
tua, & pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quam
sit pestiferum & exitiale ouibus Christi, quod istorum
sacrilegas disputationes necessario sequitur, vt nec orare
debeamus, ne intremus in tentationem, quod discipulos
monuit, & posuit in oratione, quam docuit, aut ne defi-
ciat fides nostra, quod pro apostolo Petro se rogasse,
ipse testatus est. Si enim possibilitate naturæ & arbitrio
voluntatis in potestate sunt constituta, quis non ea vi-
deat inaniter a Domino peti, & fallaciter orari, cum o-
rando poscuntur, quæ naturæ, iam ita conditæ, sufficien-
tibus viribus obtinentur: nec debuisse dicere Dominum
Iesum: *Vigilate & orate*: sed tantummodo: *Vigilate vt non*
intretis in tentationem: nec beatissimo Petro primo aposto-
lorum: *Rogaui pro te, sed moneo te, vel impero ac præci-
pio: ne deficiat fides tua*. Contradicitur etiam istorum con-
tentione benedictionibus nostris, vt in cassum super po-
pulum dicere videamur, quidquid eis a Domino preca-

Rom. 8.

Rom. 9.

Rom. 12.

1. Cor. 15.

Ibidem.

2. Cor. 3.

2. Cor. 4.

Mat. 26.

Luc. 22.

Luc. 22.

Eph. 3.

mur, vt recte ac pie viuendo, illi placeant, vel illa qua pro fidelibus precatur Apostolus dicens: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelo & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloriae suae, virtute corroborari per Spiritum eius.* Si ergo voluerimus, benedicendo, super populum dicere: Da illi virtutem, Domine, corroborari per spiritum tuum; istorum nobis disputatio contradicit, affirmans liberum negari arbitrium, si hoc a Deo poscitur, quod in nostra est potestate. Virtute enim corroborari, si volumus, inquit, possumus, ea possibilitate naturae, quam non nunc accipimus, sed quam, cum crearemur, accepimus. Paruulos etiam, propter salutem, quae per saluatorem Christum datur, baptizandos negant, ac sic eos mortifera doctrina in aeternum necant, promittentes, etiam si non baptizentur, habituros vitam aeternam, nec pertinere ad eos, de quibus Dominus ait: *Venit enim Filius hominis quaerere & saluare quod perierat.* Quia, inquit, isti non perierant, nec est quod in eis saluetur, vel tanto precio redimatur, quia nihil est in eis vitiatum, nihil tenetur sub diaboli potestate captiuum, nec pro eis fusus esse sanguis in remissionem legitur peccatorum, quamquam per baptismum Christi, etiam paruulorum fieri redemptionem libello suo Caestius in Carthaginensi ecclesia iam confessus est. Sed multi qui eorum perhibentur esse vel fuisse discipuli, haec mala, quibus fundamenta Christianae fidei conantur euertere, quacumque possunt astutia affirmare non cessant. Vnde etiam si Pelagius Caestiusque correcti sunt, vel si ista nunquam sensisse se dicunt, & quacumque scripta contra eos prolata fuerint sua esse negabunt, nec est, quemadmodum de mendacio conuincantur: generaliter tamen, quicumque dogmatizat, & affirmat humanam sibi ad vincenda peccata & Dei mandata facienda sufficere posse naturam, & eo modo gratiae Dei, quae sanctorum euidentius orationibus declaratur, aduersarius inuenitur: & quicumque negat paruulos per baptismum Christi a perditione liberari, & salutem percipere sempiternam, anathema sit. Quacumque autem alia eis obiiciuntur, non dubium, venerationem tuam, cum gesta episcopalia perspexerit, quae

ANNO
CHRISTIANI
416.

Luc. 19.

in

ANNO
 CHRISTI
 416.

in oriente in eadem causa confecta dicuntur, id iudicaturam, vnde omnes in Dei misericordia gaudeamus. Ora pro nobis, domine beatissime papa.

RESCRIPTVM INNOCENTII
 AD CONCILIVM CARTHAGINENSE.

Innocentius Aurelio & omnibus sanctis episcopis, &c.

Extat supra inter epistolas Innocentii, estque ordine 24.

NOTÆ.

^a *Concilium Carthaginense.*] Qua occasione hæc Synodus Carthagine in Africa celebrata sit, quidve in ea actum fuerit, ex synodali epistola, supra ex S. Augustino huc translata, cognoscere licet: nimirum, quod cum ex Orosii presbyteri relatu, literisque S. Hieronymi ad Augustinum redditis, aliorumque episcoporum Galliae intellexissent, Pelagium a patribus Diospolitani Concilii in Palæstina, eo quod hæresin suam fraudulenter dumtaxat condemnasset, catholicæ communioni redditum esse; omnino necessarium fore existimarunt, vt Concilio desuper indicto Africanæ ecclesiæ episcopi congregentur, causa Pelagii & Cælestii synodali episcoporum iudicio iterum examinetur: tum quod Diospolitanae Synodi patres suo decreto rescidisse viderentur ea quæ ipsi iam ante quinquennium aduersus Cælestium statuissent: tum etiam quod Pelagius a prædictis patribus in communionem ecclesiæ receptus, cum magno periculo fidelium, vt catholicus cum fidelibus conuersaretur. Initio confessus epistolæ Herodis & Lazari episcoporum in Gallia exhibitæ & perlectæ fuerunt. Post causam Pelagii & Cælestii propositam, pro meliore informatione, acta ecclesiastica ante quinquennium aduersus Cælestium Pelagii antesignanum Carthagine confecta, edi & publice legi mandatum fuit. Quibus diligenter inspectis & examinatis, vtriusque damnatio ibidem proclamata est, nisi parati essent suas ipsorum hæreses damnare. Quibus peractis, per synodicam ab Innocentio actorum suorum confirmationem petiuerunt; addentes, vt si induci non posset ad damnandum hominem, quem Palæstina Synodus tamquam catholicum absoluisset, saltem hæreses eius damnare non recusaret. Canones quosdam hoc Concilio editos fuisse. S. Prosper de ingrat. indicat carminibus illis, quibus Africanorum conuentum incomparabili quodam zelo aduersus Pelagianam hæresin accensus describit. Vide Baronium anno 416. num. 4. 5. 6. 7. 8.

Causa Concilii.

Acta Concilii.

Pelagius & Cælestius condemnati.

An ab hac Synodo Canones editi?

^b *A sexaginta septem episcopis.*] Omnium nomina recensentur in titulo epistolæ synodicae præcedentis.

Episcopi qui?

^c *Theodosio VII. & Palladio consulibus anno Domini 416. damnati fuerunt.*] Hoc Concilium allegatis consulibus, anno nimirum Christi 416. & Innocentii XVI. tempore autumnali celebratum

Tempus Concilii.

Concil. Tom. 4.

Zz

fuisse, Innocentii epistola ad Mileuitanum Concilium, Honorio II. & Constantio II. consulibus, anno Christi 417. sexto Kalendas Februarii rescripta, eidentissime demonstrat. Per eundem Iulium legatum, vtraque Synodus, Carthaginensis & Mileuitana, ad Innocentium scripsit, & pontificis rescriptum accepit. Cum itaque pontifex suas epistolas prædictis consulibus, mense Ianuario, anno 417. reddiderit, dubium non est, quin in causa Pelagii, prædicta Concilia circa initium autumnii anno 416. habita fuerint. Hoc Concilium Carthagine paulo ante Mileuitanum coactum fuisse, synodica Concilii Mileuitani II. indicat his verbis: *Hæc ad sanctitatem tuam de Concilio Numidia scripta direximus, imitantes Carthaginensis prouincia coepiscopos nostros, quos ad sedem apostolicam, quam beatus illustras, hac de causa scripsisse comperimus.*

^a CONCILIVM MILEVITANVM ^b II.

^c CONTRA PELAGIVM ET CÆLESTIVM,

^d LX. EPISCOPORVM,

^e Theodosio VII. & Palladio consulibus.

Celebratum sub Innocentio papa I. anno Christi ccccxvi.

^f TITVLI CANONVM.

- | | |
|---|--|
| I. <i>Contra Pelagianos, qui dicunt, etiam sine peccato mori potuisse Adam.</i> | <i>non solum pro aliis, sed & pro semetipso dicere oporteat: Dimitte nobis debita nostra.</i> |
| II. <i>Quod iuxta Apostoli testimonium, etiam paruuli, qui nihil peccati adhuc commiserunt, omnes in peccatorum remissione veraciter baptizentur.</i> | VIII. <i>Quod a sanctis veraciter dicitur: Dimitte nobis debita nostra.</i> |
| III. <i>Quod gratia Dei non solum peccata dimittit, sed etiam adiuvat, ne committantur.</i> | IX. <i>Quod ad communes causas ecclesie generale Concilium cogregari oporteat, in priuatis vero causis speciale vniuscuiusque prouincie.</i> |
| IV. <i>Quod per gratiam Dei sciamus, quid facere debeamus, & diligere, vt faciamus.</i> | X. <i>Vt epistolas ad Concilium euocandum metropolitanus subscribat & dirigat.</i> |
| V. <i>Quod gratia Dei prestet, vt lex impleatur, non (sicut ait Pelagius) facile, quasi sine gratia Dei difficilius possit impleri.</i> | XI. <i>Vt de hæreticis & infidelibus quidquid in Concilio constituitur, a principe impetretur.</i> |
| VI. <i>Quod iuxta sententiam Ioannis euangeliste, nemo sit qui esse possit sine peccato.</i> | XII. <i>Vt preces & orationes composita, nisi probata fuerint, in Concilio non dicantur.</i> |
| VII. <i>Quod vnicuique, etiam iusto,</i> | XIII. <i>Vt posteriores anterioribus episcopis non preferantur, nec inconsultis primatibus suis, aliquid agere presumant.</i> |